



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.5. Diaboli servitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

tere in gehennam. Quis ille autem? Deus? imò Deus non mittit nisi in cælum, *bonus ex suo, justus ex nostro.* Est ergo, est peccatum causa furoris, & irarum caput. Hic gehennæ pater, hæc origo mali metuenda tibi.

§. 5. *Diaboli servitus.*

Ecce aliud ex illo malum. Nam quia sese Deo subduxit; in nervum, in catenam, in herilem, imò tyrannicam, diaboli servitutem conjectus est. Excessit à latere impuri clientis purissimus patronus; non sustinet teterimum halitum animæ infelicis: ei in locum succedit Rex & Dominus, qui tandem? dæmon certè. O qualem custodem! cui dies noctesque non aliud incumbat, quàm misero gulam aut frangere, si liceat, aut fringendam objicere. Et nos in tanto periculo, tamque vicino mortis, hostis, flammæ perennis, hilares sumus? ad expiatorium sacramentum non confugimus? ô insaniam! Sic in morbo *ridet phreneticus; sed non est sanus.* (*Augustinus.*) sic inter haras exulat à parente *prodigus*, exulat à filio, addictus *uni civium*; nam *aut Dei sumus, aut Diaboli; nihil medium.* [*Idem.*]

§. 6. *Varia animi & corporis damna.*

Quid illi verò in tali solitudine? Quid dico